

Caput VI.

SI spiritu vivimus, spiritu & ambulemus. Si per spiritum vitam habemus, spiritualiter convertemur, & non carnaliter legi serviamus.

Non efficiamur inanis gloria cupidi. Inanis gloria est cupidus, qui alterius quamvis veram doctrinam evacuare conatur, ut plures videatur habere discipulos: huiusmodi tamen se alterutrum ad iracundiam provocare consueverunt: quamdiu sibi invicem invidere non desinunt. Inanis aliter gloria est: si ex his quae non praecipuntur in lege, omnes cogamus facere, quantum non facimus: & cum ipsi non poterimus, haec superflua dicamus.

Invicem provocantes, invicem invidentes. Si irridendo seductos ad iracundiam provocetis & illi vobis invideant.

Frater, & si preoccupatus fueris homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Hoc illis dicit, qui non fuerant persuasi: ut praeventio corrigant mansueti. Sanè in his praeventio humana fragilitas: quae leviora sunt, & ex insperato contingunt. Ceterum non est praeventio, ubi aliquid cum consilio diu meditato committitur.

Considerans seipsum, ne & tu teneris. Quia & tu ipse homo cum sis, potes in aliquo praeventi: & ad iudicium indigeas, sicuti sani infirmos sustinent: & mortuos sepeliunt vivi: quia & ipsi infirmati, & mori se posse credunt.

Alter alterius onera portate, & sic adimpletis legem Christi. Lex Christi, charitas est: sicut ipse dicit: mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis: sicut & ego dilexi vos. Notandum quod gratia lex dicatur.

Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Qui se putat non posse tentari: sive qui plus de se laudanti quam suae conscientiae credit.

Opus autem suum probet unusquisque. Testimonio conscientiae.

Et sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero. In sua conscientia, & non in alterius adulacione: sive in sua iustitia, non alieno peccato. Nemo enim proficit ad alterius detrimentum: nec ex illius delicto iustior quam fuerit, apparebit.

Unusquisque enim onus suum portabit. Non enim onus eius aufert laus sedantis.

Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis. Sive obedientiam verbo, & actibus imitationem, sive substantiam victus.

Nolite errare, Deus non irridetur. Homo potest a serpente, Dei vindictam negante irrideri, sicut Eva. Nam Deus exhibet quod promittit: nam ut omnem eius astutiam excluderet: amplius primo peccantibus reddidit, quam promissit: & uxori Lot etiam quod non dixerat, fecit.

Qua enim seminaverit homo, haec & metet: quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Qui spem habet in circumcissione carnali: vel qui vitia seminat, metet pernam.

Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam aeternam.

Explicit Commentarius in Epistolam ad Galatas.

COMMENTARIUM IN EPISTOLAM AD EPHESIOS.

Caput I.

PAULUS Apostolus Jesu Christi, per voluntatem Dei. Non meis meritis.

Omnibus sanctis. Omnes sancti, fideles: non omnes fideles, sancti. Quia possunt etiam catechumeni ex eo quod Christo credunt fideles dici: non tamen sancti sunt, quia

nam. Qui in spirituali conversatione seminat, vel fide.

Bonum autem facientes non desiciamus. Sicut Ecclesiasticus ait: Non impediatis orare semper, & non vereris usque ad mortem iustificari: quoniam merces Domini manet in aeternum. Indeficientem enim iustitiam, indeficiens praemium subsequitur: quia qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.

Tempore enim suo metemus non desicientes. Nunc tempus seminandi est, non metendi.

Ergo dum tempus habemus. Ultimam sementis hoc tempus est: festinemus ergo campos omnes serere, sed magis eos, qui sunt uberrimi, repleamus: ne incipiamus tempore messis, aliis abundantibus esurire.

Operemur bonum ad omnes: maxime autem ad domesticos fidei. Indigentibus Iudeis, & Paganis, & omnibus Christianis, bonis malisque misericordiam faciamus: nec alicui quod Dominus communiter tribuit, denegemus: maxime tamen his qui peculiarem fidei exhibent famulatum.

Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu. Intelligite quod non timeam, qui literas manu mea nuper scripsi.

Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi: tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Qui Iudeis carnalibus placere desiderant, crucis Christi persecutionem sustinere timentes.

Neque enim qui circumcidiuntur, legem custodiunt. Si circumcisio legem faceret custodire, aliquid videretur habere rationis ista persuasio.

Sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra gloriantur. Ut de carne vestra apud Iudeos laudem habeant: sive quod discipulos ad se traxerint, gloriantur.

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Non in propria iustitia, vel doctrina, sed in fide crucis: per quam mihi omnia peccata dimissa sunt: ut ego mundo morecer, & ille mihi.

In Christo enim Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque praepitium, sed nova creatura. Hoc tempore solum hoc prodest: si quis renatus in Christo, nova conversatione utatur, ut Propheta ait: Innovate vobis novam messem & ne seminaveritis inter spinas. Circumcidite vos Deo vestro: & circumcidite praepitium cordis vestri.

Et quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia. Quia in sola fide spes collocatur animarum.

Et super Israel Dei. Dei est ergo Israel: Non enim omnes qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitae.

De cetero nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. Nemo me amplius interroget, quasi dubitans: quia omnem expositi veritatem. Ego enim signa & characteres, non circumcissionis, sed crucis & passionis in corpore meo circumfero.

Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro fratres. Amen. Subscriptio talis est Apostoli. Optat autem ut gratia eos Domini, non legis opera comitentur. Simul & attende: quia cum spiritu vestro dixerit, non cum carne: in cuius circumcissione gloriantur carnales: vos autem spiritualiter converfiamini, ut spiritualiter circumcisi.

A Deo Patre nostro, & Domino Jesu Christo. Unum esse patrem & filium demonstrat, utique pariter operantes.

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Jesu Christi. Laudat Deum, eo quod donaverit infra scripta.

Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali. Non aliquantis, sed omnibus spiritualibus gratiae benedictionibus: ut quomodo in nobis nihil deest ex illo, ita voluntati ejus nihil deest ex nobis.

In caelestibus. Non in carnali prosperitate, nec in terrena abundantia.

In Christo. In capite omnia membra benedixit.

Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem: ut essemus sancti & immaculati. Quia nihil novum est ei apud quem omnia erant, antequam fierent. non ut quidam haeretici somniant, animas antea in caelo fuisse segregatas.

In conspectu ejus. Non hominum.

In charitate. Hoc fecit: sive immaculatos diligit Deus.

Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum. Hoc praedestinavit ut haberent potestatem filii Dei fieri homines, qui credere voluissent: sicut scriptum est: Loquebantur verbum cum fiducia omni volenti credere.

Per Jesum Christum in ipsum. Ut membra ejus simus.

Secundum propositum voluntatis suae. Non secundum merita nostra.

In laudem gloriae gratiae suae. Ut laudemus gloriam gratiae ejus.

In qua gratificavit nos in dilecto filio suo. In qua gratia gratos fecit nos sibi in Christo.

In quo habemus redemptionem, per sanguinem ejus in remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae ejus. Non solum redemit, sed etiam peccata remisit: sine labore nostro iustos nos fecit, secundum divitias gloriae ejus.

Qua superabundavit in nobis, in omni sapientia, & prudentia: ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum ejus quod proposuit in eo. Plurquam abundavit: ut non solum a morte redemptis gratis peccata dimitteret, sed etiam nobis tantam sapientiam donaret, ut voluntatis ejus occulta mysteria nosceremus.

In dispensatione plenitudinis temporum. In novissimis temporibus, quando jam omnis dispensatio temporum, legis & naturae Prophetarumque transacta est.

Instaurare omnia in Christo, quae in caelis, & quae in terra sunt in ipso. Multi super hac re diversa dixerunt. Nam quidam aiunt caelos, animas: terram, corpora accipienda. Alii caelos, Iudeos: qui caelestia praeccepta habuerant: terram esse gentiles affirmant. Alii vero asserunt, non angelos per caelos significari: sed eorum scientiam: ex Christi enim tempore profecisse, qui tanquam ignari interrogabant: Quis est iste rex gloriae? Et docentur Dominum cum esse virtutum. Sed quoniam instaurari non dicitur nisi lapsus, melius est si eorum gaudium in salute hominum instauratum esse dicamus: quod habuerant antequam homines a iustitia penitus declinarent. In terra vero instauratum genus hominum per Christum, nullas ignorat.

In quo etiam nos sorte vocati sumus. Nos qui ex Iudeis credimus.

Praedestinati. Per fidem, sive praecogniti.

Secundum propositum ejus. Proposuit omnia restaurare, sed primo oves perditas domus Israel.

Qui operatur omnia. Omnium horum causa, voluntas Dei est: quam rationabilem esse non dubium est.

Secundum consilium voluntatis suae. Non secundum merita nostra.

Ut simus in laudem gloriae ejus. Ut per conversationem nostram, & signa quae facimus, detur gloria Deo.

Nos qui ante speravimus in Christo. Nos Apostoli, vel Iudei, qui priores credidimus Christo, sive ex lege expectavimus.

In quo & vos cum audissetis verbum veritatis, Evangelium salutis vestrae. In quo etiam vobis gentibus annunciata est salus.

In quo & credentes. In quo Evangelio, sive Christo.

Signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae. Hinc cognoscimini unum esse, quia eundem spiritum accepistis: ejus signa, atra sunt hereditatis futurae. Si ergo mortuos suscitare atra est, quanta erit ista possessio? Pignus vero promissis fidem operatur spiritu promissionis, qui non carni promissus est.

In redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius. Quos redimendo suo sanguine acquisivit, ut etiam in hoc laudemus gloriam ejus.

Propiterea & ego audiens fidem vestram quae est in Christo Jesu. Quam firmiter teneatis fidem Jesu.

Et dilectionem in omnes sanctos. Hoc est, fidem operibus comprobatis: & omnes bonos sine exceptione personae, vel notitiae diligitis. Cavere autem a pseudopropheta, & non omni spiritui credere: & non ante probationem nobis iudicare praecipitur.

Non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: Non ut quidam in iucunditate convivi: mihi autem nihil oratione iucundius.

Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriae, det vobis spiritum sapientiae & revelationis. Notandum quia fidem & charitatem habentibus, sapientia a Domino praedicatur: noverat enim adiutricem esse virtutum.

In agnitionem ejus. Quomodo optat ut agnoscat Deum, quem ulque adeo noverat: ut ei credentes, omnes propter ipsum diligenter sanctos? Sed hoc petit, ut perfectè agnoscat magnitudinem ejus atque virtutem, qua potest promissa praemia, vel penas implere magnitudinem: qui cum ubique sit, nihil eum potest omnino latere: qui enim pro certo cognoverit, nullo poterit in loco peccare: nam qui humanum testimonium erubescit, multo magis divinum poterit revereri. Unde filii Eli cum sacerdotes essent, Deum necesse dicuntur: quia praesentiam & potentiam ejus minime timerunt. Et Joannes Apostolus omnem qui peccat, Deum non cognovisse confirmat.

Illuminatos oculos cordis vestri. Spiritualia promissa non nisi spiritualibus oculis pervidentur.

Ut sciatis quae sit spes vocationis ejus, & quae divitiae gloriae hereditatis ejus in sanctis. Si sciretis ad quantam spem vocati estis, omnem spem saeculi facile contemneretis: & si divitias hereditatis Dei videretis, omnis terrena vobis horrebit hereditas. Nemo enim regnum cum opibus suis sperans curator esse, & medicem substantiam possidere dignatur.

Et quae sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiae virtutis ejus, quam operatus est in Christo Jesu, suscitans illum a mortuis. Omnis magnitudo virtutum Dei, in natura vel lege supereminet, quia praestitit Christianis, ut filio suo non parceret: ut eum caput nostrum factum, ad suam dexteram in caelestibus collocaret.

Et constituens ad dexteram suam in caelestibus. Hic dextera pro honore ponitur: ne Deus corporeus esse credatur. Nam & pater a dextris esse scribitur Christi, Dominus, inquit, a dextris tuis, confregit in die ira suae reges. Ambo ergo a dextris sunt: quia nihil est in divinitate similitudinis.

Super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem. Quia unum est jam cum Deo assumptus homo qui suscitatus est.

Et omne nomen quod nominatur: non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro. Si quod est aliud.

Et omnia subiecit sub pedibus ejus. Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam: quae est corpus ipsum, & plenitudo ejus. Ecclesia omnium plenitudo membrorum est.

Qui omnia in omnibus adimpletur. Quando omnes credent, tunc erit corpus ejus effectus in omnibus membris. Totus enim in membris, non in singulis impletur: ne ulla sit diversitas meritorum.

Caput II.

ET vos convivificavit cum essetis mortui delictis & peccatis vestris. Incipit collata beneficia replicare: ut iuxta officium mandatorum: ex contemplatione donatae indulgentiae avidius contententur. Mortui enim erant peccatis facientibus, sicut Adam & Eva in deliciis viventes.

In quibus aliquando ambulastis. Notandum quod in peccatis ambulasse illos, non ambulare dixerit.

Secundum saeculum mundi hujus. Saeculi hominibus, similes sequentes diaboli voluptatem.

Secundum principem potestatis aeris hujus spiritus. Secundum principem illius potestatis, qui hujus aeris satellitibus suis ad decipiendos diversis peccatis homines, dives erat potestate.

V u u iij